



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XL. De Verborum Significatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITVLVS XL.

De Verborum Significatione.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Mentem & voluntatem hominis demonstrant Verba,</p> <p>2. Seu quævis dictiones significatiua.</p> <p>3. Verbum omne Affirmatiuum, aut Negatiuum:</p> <p>4. Singulare, Particulare, Generale, Universale vel Indefinitum:</p> <p>5. Dispositiuum vel Enuntiatiuum seu Narratiuum est.</p> <p>6. Significatio Verborum aliqua Propria,</p> <p>7. Alia Usualis & alia Abusiva:</p> <p>8. Alia Civilis seu Iuridica:</p> <p>9. Et demum alia Artificialis est.</p> <p>10. In Verborum interpretatione I. praeualet mens disponentis,</p> <p>11. II. Et ratio, vel causa ea Proferendi.</p> <p>12. III. Prolata simpliciter ita, & non secundum Quid tantum sunt exaudienda.</p> <p>13. IV. Verborum significatio propria Impropria,</p> <p>14. V. Et Naturalis Civilis preferenda est.</p> <p>15. VI. Eadem intelligenda secundum significationem communem:</p> <p>16. Quæ tamen aliquando potior est Civilis.</p> <p>17. VII. Verba passionum interpretanda contra proferentem.</p> | <p>18. VIII. Verborum superfluitas cauenda est:</p> <p>19. Nisi ea excludi sine incommodo non possit.</p> <p>20. IX. Verba intelligenda, ut Iuri communi,</p> <p>21. X. Et materia subiecta &c. congruant:</p> <p>22. XI. Ut excludatur delictum,</p> <p>23. XII. Et Iuri quæsto tertij non derogetur:</p> <p>24. XIII. Ut non resultet absurdus intellectus:</p> <p>25. XIV. Ut contradictio & correctio non sequatur,</p> <p>26. XV. Et dispositio non pereat.</p> <p>27. XVI. Verba Affirmatiua, aut Negatiua non ex sono, sed ex uisimantur.</p> <p>28. XVII. Affirmatiua digniora Negatiua:</p> <p>29. Hec tamen illis potentiora sunt.</p> <p>30. XVIII. Geminata negatio inducit affirmationem:</p> <p>31. Si utraque super idem cadat:</p> <p>32. Nonnullis tamen casibus exceptis.</p> <p>33. XIX. Verba generalia exaudienda sunt generaliter:</p> <p>34. XX. Minus tamen potentia, quam Universalis sunt.</p> <p>35. Restrictionem tamen utraque saepe admittunt vel exposcunt.</p> |
|---|--|

36. XXI. Verba indefinita generalibus
equipollent,
37. Praesertim in legibus & statutis:
38. In aliis dispositionibus saepe restrin-
guntur.
39. XXII. Specialia plus, quam genera-
lia, operantur.
40. XXIII. Enumerativa per se nec pro-
bant nec disponunt:
41. Quod tamen multis casibus fallit.
42. XXIV. Verba geminata potentiora
sunt simplicibus.
43. XXV. Sequentia ab antecedentibus
recipiunt interpretationem, &
vicissim.

Mens & cogitatio hominis alie-
ni, etiam perspicacissimi in-
tellectus acie non attingitur:
nisi locutione animique ex-
pressionem alia reveletur. Quò sine pro-
vidè adinventa & personis rebusque, ne-
gotiis & actionibus imposita sunt Nomi-
na & Verba, quorum prolatione manife-
stata de iis cogitatio & voluntas intelli-
geretur, l. *Labeo* 7. §. 2. *V. Idem Tubero*,
ff. de *Suppell. leg.* Unde Evangelicum
illud, *Loquela tua manifestum te facit*,
Matth. cap. 26. v. 73, veterisque & *can.*
Legimus 24. pr. *diff. 93.* consonum Ada-
gium, *Loquere, ut videam te*, Baldus in l.
Si non convitij §. C. de *Injuriis*. Quo-
niam autem Verborum sive nominum non
omnium una eademque semper, sed varia
quandoque notatio; ideòque non rarò
anceps est, quàm mente & voluntate in legi-
bus, rescriptis ac sententiis, in supremis
hominum elogiis, in pactioibus & di-
spositionibus aliis prolata, & exaudienda
sint, omnigeni Juris pertractationi Ver-
borum significationis explanatio subjicitur
praesenti, eique concordante Rubricà
in Pandectis: ad quam, singulorum vi-
passim obviis Vocabulariis Juridicis re-

lictà, praviàque Verborum naturà, eo-
rumque & Significationis varietate, sta-
tuere juvabit notatu digniores & in praxi
utiles Regulas, Verborum, quibusvis di-
spositionibus expressorum, vim proferentis
intentioni congruentem cognoscendi.

Verbi itaque vox hòc locò non su-
mitur specialiter pro ea, quam per tem-
pora modòsque & personas Grammatici
declinant: sed generaliter pro omni di-
sitione significativa, quacunque ea pars sit
Orationis; ut praeter Verbum in specie
Nomen quoque, Pronomen, & Adverbiù
complectatur, Vallenf. *ad hanc Rubric. n.*
1. Quò modò sumpti

Verbi variae & hòc locò non praeter-
mittendae sunt tres partitiones. Primà
id, vel potius Oratio alia Affirmativa di-
citur, alia Negativa: quarum illa positio-
nem significat, ista privationem: prout
subjecto praedicatum aliquid tribuit, vel
ab illo removel ac tollit, Bartol. & Bal-
dus in l. *Astor*, 23. C. de *Probat. ille n. 4.*
iste n. 22.

Alterà Verbum dividitur in Singula-
re, Particulare, Indefinitum, Generale
& Universale. Singulare sive, ut etiam
vocatur, Speciale est, quod denotat per-
sonam, rem, vel causam certam & determi-
natam, ut nomen *Titius*, *Bucephalus*, *fun-
dus Cornelianus*, *Hic* & *ille homo*, *equus*,
fundus &c. Particulare est verbum com-
mune significans unam vel plures per-
sonas, res, causas indeterminatas, adjunctò
signò particulari, ut *Non nemo*, *Aliquis*, *Alius*
homo, *equus*, *fundus*, vel etiam *Aliquis*, *Alij*
in numero plurali. Indefinitum dicitur
nomen commune, cui nec particulare nec
universale signum est adjectum, ut *Homo*,
equus, *fundus*. Generale est nomen com-
mune denotans personam, rem, causam,
sive earum genus aliquod, ferè adjunctò
aut inclusò signò universali, ut *Omnis ho-
mo*, *Omne argentum* vel *aurum*, *collegium*,
plebs,

plebs, grex. Universale, quod ejusmodi signò ferè adjectò denotat vel includit Universalitatem, plura genera sub se continentem, ut *Omnia bona, Totum patrimonium, Hereditas, Populus*, Alciatus in l. In usu 158 ff. de V. S. Unde, licet Verbum Generale & Universale DD. usu plerumque confundant, propriè tamen loquendò differunt: & Universale latius diffunditur & plura genera: non, ut Generale, plures tantum species, sive, ut Philosophi loquuntur, individua comprehendit, Menoch. Lib. 1. Consil. 16. n. 16. in fine & Zasius in l. Prator 7. ff. de Jurisdic.

5. Tertia in Dispositivum & Enuntiativum seu Narrativum. Dispositivum verbum vel oratio est, quæ exprimitur rei sive actûs gessi substantia, sive id, quod de præsentis & principaliter actum est à disponente uno vel pluribus, à quorum voluntate pendet. Enuntiativum cum Narrativo, aliis cum Mascardo de Probat. conclus. 621, n. 2. distinguuntibus, plerumque confundunt: & utroque, quasi duobus ejusdem significationis vocabulis, indifferenter utuntur, verbumque & orationem Enuntiativam seu Narrativam esse aiunt, quæ aliquid refertur solum incidenter sive exprimitur, quod non de præsentis ab ipso disponente, sed ab alio, vel de præterito est actum. Declaratur exemplis; sic enim, si instrumentò venditionis Notarius exprimat, à Titio domum, ipsi à Principe donatam, vel prædium intra fines parochiæ S. Viti M. situm, Cajo venditum ac traditum, dispositivè sola domus vel prædii per venditionem à Titio in Cajum facta translatio: donatio verò Principis & situs intra fines diocesis parochiæ enuntiativè duntaxat seu narrativè relata est, Gaill. Lib. 2. observat. 37. n. 14. Sic etiam, si Notarius apocham Sempronii manu scriptam coram se productam asserat, productio apochæ dispo-

sitivè: scriptio verò Sempronii enuntiativè seu narrativè expressa censetur: nisi Sempronii manum à testibus recognitam addatur, Tufchus Pract. V. Verba, conclus. 18. n. 5.

6. Significatio etiam verborum non eadem semper, sed plerumque diversa est: & ut ab aliis proclitum ejus varietatem præmittam, JCT. eam partium in Propriam, Usualem, Abusivam & Civilem apud Suarez Lib. 6. de LL. cap. 1. num. 9.

Propriam & ferè primævam, quam aliqui Naturalem, alii etiam Grammaticalem nuncupant, Bartolus in l. Omnes populi 9. ff. de J. & J. n. 59. & Alciatus Lib. 1. de V. S. paulò post pr. desumi aiunt ab Autoritate, à Definitione, ab Etymologia; ut verbi cujusvis significatio & intellectus proprius is sit, qui ex instituentis placito & primævo usu proficiscitur, ex quo Bona, quæ beant homines l. Propriè 83. Divortium, dimissionem uxoris, vel mariti ab ea discessum & vicissim, l. Inter 191. Ferre, quod quis corpore portat, Agere animalia dicitur, l. Ferri 235. ff. hie. quæ congruit definitioni, ex qua Præpositus, qui alius præest, c. Quamvis 9. Pactum, quod ex pace seu partium conventionione fit, c. Pactum 11. Censura excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententia, c. Quarenti 20. Novale terra proficiscit, quæ annò cessavit, vel de novo ad cultum est redacta, l. Sylva 30. §. 2. ff. c. Quid per Novale 21. hie: quæ sumitur ab etymologia seu vocabuli derivatione, ex qua à Jure dicendo Judex, Accusator ab ad causam vocando, c. Fornus 10. Venenum ab eundo intra venas, l. Quis venenum 236. ff. hie, à positione pedum vel sedium Possessio nuncupatur, l. 1. pr. junctâ Glossâ V. Pedum, ff. de Adquir. possess. Dummodo tamen hæc sive ab Etymologia desumpta verbi significatio primævo

primævo ejus usui & definitioni non ad-
versetur, Alciatus *l. cit.*

7. Usualis seu consuetudinaria est, quam
Verba non ex primævo, sed moderno &
communi usu obtinent: & utriusque Ju-
ris Interpp. communem vocant, eorum-
que non pauci, nec malè, ad Propriam re-
ducunt apud Berchæum *in Rubr. ff. de V.
S. n. 4.* quòd communi usu vis & signifi-
catio verborum cum tempore mutari &
quæ aliquando non fuit, propria signifi-
catio hodie esse possit.

Abusiva significatio est, quam Verba
obtincent ex usu & acceptione Vulgi seu
rudium; apud quos famuli Servorum, na-
ti ex fratre vel sorore Nepotum, do-
mus murò circumdata Castri, patrimo-
nium mulieris quòdcunque Dotis nomi-
ne venire solet, Panormit. *in Proem. De-
cretal. n. 10. & ibi Felinus à n. 4.*

8. Civilis demum sive Juridica signifi-
catio est, quam vocabulo confert Jus sive
lex aut canon, quævè illius fictione obrei
per verbum denotata cum alia similitudi-
nem, comparisonem, aut parificationem
habetur; ut propter hujusmodi simili-
tudinem &c. unam rem propriè signifi-
cans verbum à Jure ad alterum extendat-
tur, eique tribuatur; sicut Mortui ver-
bum tribuitur Religioso & deportato,
*can. Placuit 8. V. Sedeat, 16. q. 1. & l. Si
necem 4. §. 2. ff. de Bonis libert. & Legi-
timi dicuntur filii naturales, parentum
matrimonio legitimi, c. Tantà 6. Qui
fil. legit. & Capite minuti, qui statum
permutarunt, l. 1. ff. de Capite minut.*

9. Præter Abusivam & Civilem impro-
pria verborum significatio est Artificialis,
quâ ad copiam, ornatum, & sublimitatem
Orationis cum Oratoribus frequenter uti
solent Poetæ, & quandoque Historici,
cùm pavonis caudæ oculos, gladio vo-
racitatem, montibus pedem & caput,
factis saxisque loquelam, partum ingenio

& animo fluctus adstruunt Oratione: &
mare vitreum, stylum floridum, caput
stramineum, hominem pigrum invidum-
ve asinum vel canem, virum bellò for-
tem Herculem, leonem, belli fulmen ap-
pellant. Sed istius, quòd ad facundiam &
sermonis elegantiam comparata sit, apud
JCT. os, verborum vim iisque expressam
disponentis voluntatem ex officio investi-
gantes, perrarus: frequentissimus autem
usus & consideratio est antè declarata
triplicis significationis,

His de Verborum & Significationis
varietate præmissis subijcio in praxi per-
utiles interpretandi sive illorum, quomo-
docunque & quavis dispositione ab ho-
mine prolatorum, vim ac potestatem co-
gnoscendi Regulas generales: quarum

Prima & præcipua est, Verba exau-
dienda sunt secundum mentem & inten-
tionem proferentis, *c. Intelligentia 6. hie
& l. Non aliter 69. pr. ff. de Legat. 3.*
Ratio perspicua est; quia verba adinvent-
rebusque imposta sunt; ut hominis de his
conceptus sive mentem & intentionem
aperirent proferentque, *l. Labeo 7. §.
2. V. Idem Tubero, ff. de Suppell. leg. cã-
que ratione proferentis menti convenire
ejusque intentioni adæquari debent, &
plerumque solent, V. cit. & l. Librorum
52. §. 4. ff. de Legat. 3.* Unde, quoties
cum illa disponentis verba conveniunt,
opus non est interpretatione: sed ad hanc
tum demum confugiendum est; cum
mens & verba in speciem discrepant: eã-
que interpretatio præferenda est, quã
mens & voluntas potius quàm verba re-
tinentur, *l. Nomina 6. §. 1. ff. hie & l.
Non dubium 5. C. de LL. cum; quia Scire
leges & dispositiones quasvis intelligere,
non est, earum verba tenere, sed mentem
ac potestatem, l. Scire 17. ff. de LL. tum
verò; quia verba proferentis intentioni;
non intenti verbis servit, *can. Humana**

T t t

22. 9. 52

22. q. 5. § 1. Si quis ita 3. §. 9. ff. de Ad-
imend. legat. & sicut actus ceteri, sic &
prolatio verborum ultra agentis ac pro-
ferentis intentionem non operatur, l. Non
omnis 19. ff. Si cert. pet. Tufchus V. cit.
conclus. 93. n. 1. Mantica de Conject. ult.
volunt. Lib. 11. tit. 12. n. 32. in fine, &
Vallensis ad hanc Rubr. n. 2.

21. Secunda, Verba dispositionis inter-
pretationem recipiunt ab ejus ratione seu
causa. Ratio clara est; cum enim pru-
denter disponentis voluntas moveatur &
rogatur ductu rationis, arg. can. Erit au-
tem 2. dist. 4. huic ejus dispositio accom-
modatur; ut ratio dispositionis & ejus
mens idem quodammodo esse intelligan-
tur; & ferè secundum limites modum-
que rationis dispositio extendatur vel re-
stringatur, arg. l. Mulier 55. ff. Solutio
matr. Cephal. Lib. 1. consil. 16. n. 17. &
Everard. Legal. arg. loco 34. à n. 1. Quæ
licet ita sint, in legibus tamen ac statutis
ratio aliquando latius quam dispositio
paret; ut ista specialis sit, non attentà il-
lius generalitate, arg. c. fin. de Immunit.
& Clement. 1. de Elect. quorum locorum
priori in Ecclesiis earumve cæmeteriis ho-
miciidia & mutilationes perpetrantes im-
munitate privantur ex ratione; quòd In
eo, in quo delinquit, puniri quis debeat:
& tamen, alia etiam graviora delicta in iis
committentibus immunitatem suffragari,
communis DD. & Lib. 3. tit. 49. n. 114.
Stabilita sententia est: posteriori Reli-
giosus in Prælatum professionis & habi-
tus diversi eligi prohibetur & redditur
ratio; quòd Rationi non congruat, ut ho-
mines dispari habitu & professionis simul
in iisdem monasteriis socientur: quæ, licet
etiam fuisit, non tamen impedit, quòd mi-
nus Religiosus eligi valeat in Prælatum
Ecclesiæ secularis Cathedralis. Qua
de re uberius Lib. 1. tit. 2. à n. 135. est
actum,

Tertia, Verba simpliciter prolata, 12.
in dubio & in materia tam favorabili
quàm odiosa, simpliciter, & non secun-
dum quid tantum, sunt intelligenda, l.
Non aliter cit. l. Hoc legatum 45. ff. de
Legat. 3. § 1. §. 3. ff. de V. O. sic enim
canon præcipiens beneficiatis residentiam
in Ecclesia & in divinis officiis præsentia-
am, accipiendus est de residentia in loco
& præsentia in divinis personali, c. Quia
nonnulli 3. de Cleric. non resid. & c. Unico
in 6. Sic provisio Apostolica de beneficio,
per Titii mortem vacaturo, de vacatione
per mortem naturalem, sive animæ à cor-
pore separationem: non per civilem, quæ
privatione, depositione &c. inducitur, est
exaudienda, arg. l. Ex ea 12. §. 2. ff. de
V. O. & arg. à contrario c. Susceptum 6.
de Rescript. in 6. Sic statutum loquens de
cive, ab eo, qui verè civis est, trahendum
non est ad eum, qui ex speciali indulgentia
unò alteròve loci civium privilegio
gaudet, Tufchus cit. Conclus. 92. n. 10.
& si eòdem mulieri casu, quò victus aliàs
deficientis necessitas urget, res suas alien-
nandi (aliàs eòdem prohibita) facultas
concessa sit, hanc de alienatione libera,
hoc est, ab alterius consensu, decreto ju-
dicis, aliave solemnitate absolutà intelli-
gendam, arg. l. Tutor 7. pr. ff. de Admi-
nistrat. tut. ait Panormit. Lib. 1. Consil.
17. circa medium; quòd aliàs secundum
quid tantum, non simpliciter, alienatio eò
permissa esset. Unde, argumentum à di-
cto simpliciter ad id, quòd tale secundum
quid tantum est, non valere, ait Riminald.
Lib. 5. Consil. 558. n. 70. qui Regulæ ra-
tionem eam reddit; quòd, ut mox dice-
tur, verba in proprio sensu accipienda
sunt: id autem, quòd tale secundum quid
tantum est, tale propriè non sit. Mode-
rationem hæc Regulæ eandem ferè, quam
subsequens admittit.

Quarta, Verba accipienda sunt pro-
priè, ut

præ, ut, quando duplicem, propriam & impropriam, significationem habent, secundum illam potius, quam istam intelligantur: nec à propria facile recedatur, *l. Non aliter cit. iunctâ Glossa V. A significatione l. 1. §. 17. ff. de Exercit. ab. & c. Inter corporalia 2. de Translat. Episc.* quò locò Innocentius III. concessâ Episcopatus cessione translationem concessam, ex ea ratione inficiatur; *Quòd si circa translationem idem voluisset, quòd de cessione, id poterat expressisse:* quâ ratione à verborum proprietate non recedendum monet: quod etiam *c. Ad audientiam 12. de Decimis* insinuat. Præsertim autem verba propriè exaudienda sunt, quando prolata sunt à peritis, eorumque proprietati disponentis seu proferentis mens & ratio suffragatur, aut non adversatur, *cit. Tuschus Conclus. 91. à n. 1. Mantica Lib. 3. tit. 5. à n. 1. & Petr. Barbosa in l. Quia tale 13. ff. Solutio matrim. n. 37.* Ratio est; quia verba adhibentur ad declarandam mentem ac voluntatem, quæ ipsis secundum propriam significationem acceptis magis declaratur. Sed hoc regulare, non perpetuum est; cum à proprietate recessus toleretur non solum, quando verba, aliâ mente ac sensu prolata, compertum est: sed etiam, cum illam non admittit materia subiecta, aut in propria significatione nequeunt verificari, & hæc dispositionem otiosam vel inutilem redditis; sic enim nomine Testamenti, cuius factio manifestis usurariis adempta est *c. Vers. fin. de Usuria in 6. ne istius dispositio careat effectu, venit etiam Codicillus, Glossa in c. cit. V. Alter facta:* & ut sustineatur libellus, ejus verba impropriantur, *l. Si quis intentione 66. ff. de Judic. ubi Bruneman, n. 1. & Gaill. Lib. 1. observat. 61. n. 16.* Impropria verborum significatio etiam admittitur ad Juris correctionem, tertii præjudicium, iniquita-

tem aut aliud absurdum vitandum, Decianus *Lib. 1. Consil. 11. n. 59. & Lib. 2. Consil. 103. n. 36. & cit. Tuschus Conclus. 102. à n. 21.*

Quinta, Verba statuti, contractus, testamenti & alterius dispositionis verè & naturaliter accipienda sunt; ut, cum idem verbum naturaliter & civiliter sumi sine incommodo potest, civili præferatur sensus naturalis, *l. fin. C. de His, qui ven. et at. l. Fideicommissum 76. ff. de Condit. & demonstr. & l. Ex ea 121. §. 2. ff. de V. S.* sic enim statutum de Consanguinitate vel Affinitate referendum est ad veram & naturalem, Lud. Roman. *Consil. 88. pr. & Tuschus Conclus. cit. n. 2.* Sic dispositio loquens de Morte, non de civili & ficta, sed de vera & naturali intelligenda, *§. 2. cit. & l. Statius 48. §. 1. ff. de Jure Fisci,* & si in testamento vel contractu ætatis legitimæ vel perfectæ mentio fiat, v. g. Titio quid legatum sit in tempus, quò ad perfectam ætatem pervenerit, id non de impetrata beneficiò principis: sed de ea, quæ 25. ætatis anni impletionem est perfecta, est accipiendum, *l. fin. cit. Tuschus l. cit. n. 4. & Bruneman. in l. cit. c. 1.* Ratio est; quia verba, ut dictum, sumenda sunt propriè: quod autem tale est solummodo civiliter & per fictionem, propriè tale non est, *l. Si de pecunia 2. §. 1. ff. de Usufr. earum rer.*

Verùm, ut proximè relata, sic & hæc Regula minimè perpetua est; cum iisdem ferè, quibus illa, *cit. Decianus m. 36. & 59. & Tuschus à num. 21.* & iis etiam casibus non procedat, quibus fictus per omnia æquivalet casui naturali; sic enim dispositionem, filios legitimos ad feuda, majoratus, primogenituras vocantem, ad filios per subsequens parentum matrimonium legitimos porrigi, dictum est *Lib. 4. tit. 17. à n. 50.* quòd ita legitimi legitime natis quoad omnes effectus

effectus æquiparentur, & talium instar habeantur, *c. Tanta 6. Qui filij legit.* Sic etiam Religionem successionis incapacem ingressi, eamque nullâ factâ dispositione de rebus suis, professi, perinde ut mortui, bona omnia ad proximos consanguineos devolui: & à patre, Religionem successionis incapacem sine ejusmodi dispositione professi, legitimam filio in seculo relicto perinde, ut ab ejus obitu statim debent, *Lib. 3. tit. 27. n. 32. & 46.* est dictum; quòd mors civilis inducta professione in Religione successionis in capace quoad ipsius bona: & professione in alia etiam Religione, editâ quoad patriæ potestatis solutionem morti naturali æquiparetur, eosdemque cum ista habeat effectus, *can. Placuit. 16. q. 1. & l. Deo nobis 56. C. de Episc. & clericis.*

XV. Sexta, Verba intelligenda sunt secundum sensum communem & modernum loquendi usum, *l. Librorum 52. §. 4. ff. de Legat. 3. & l. Cum de lanonia 18. §. 3. in fine. ff. de Fundo instruit. leg. adeò;* ut ob communem loquendi usum aliquando à propria, hoc est, primâ verborum significatione recedatur, ut ex Bartolo *in l. Labco 7. ff. de Suppell. leg. pr.* notat *cit. Mantica Tit. 8. n. 2.* Hinc profectò est; quòd, licet aliàs, in poësis benigniorem interpretationem faciendam, Regula sit *49. in 6.* ob communem tamen loquendi usum Excommunicationis nomine simpliciter prolatò generaliter major exaudiatur, *c. Si quem 58. de Sent. excom. Panormit. in c. cit. n. 4. & Pirrhing ad Rubr. cit. n. 8.* Vel maximè autem communi Regionis usu recepta Verborum vis & intellectus attenditur in testamentis ac legatis, *arg. l. Si servus 50. §. 3. ff. de Legat. 1.* ubi numerorum numero sine qualitatis expressione legatò ante omnia consuetudinem legantis; dein regionis, in qua versatus est, usum inquirendum, Ulpianus monet: quò

ferè modò votum oblationis frumenti, quoad quantitatem incertâ, mensurâ loci usu consuetâ exsolvendum, Innocentius III. respondit *c. Ex parte 18. de Censib. ex. act. &c.* Sic fratri Abbatis, qui duos, unum carnalem, alterum spirituales habet, relictum centum aureorum legatum carnalè sive sanguinis, non spirituali & Religioni fratri, communem intellectû secutus Panormit. debent, ait cum Baldo *in c. Licet 5. de Offic. Legati n. 2.* Eadem communis & vulgaris etiam verborum intelligentia in nuptiali, *c. Ex literis 7. de Sponsal. & mar. & contractibus* aliis non raro spectatur.

Ratio Regulæ aperta est; quia per usum & intellectum communem Verborum significationes, sicut natæ sunt, sic exolecere ac mutari consueverunt; cum, ut Glossa *in l. Librorum cit. V. Non continebatur,* nec malè observat, usus omni Regulæ omnique Constitutioni humanæ deroget in sermonibus exaudiendis: ejusque vi & ætatis lapsu variantur ipsa vocabula, & veteribus exolevis nova plerumque succedant, juxta illud Horatii *de Arte Poëtica.*

*Multa renascuntur, quæ jam cecidere,
cadentque,*

*Quæ nunc sunt in honore vocabula,
si voler usus,*

*Quem penes arbitrium est & vis &
norma loquendi.*

ut proinde non malè communi usu triti sermonis modum sensumque pro ejus lege habeat Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. Gloss. 11. n. 69.* & verborum vim numerorum valori contulerit Plutarchus *Lib. de Pythia Oraculo* & Quintilianus *Lib. 1. Instit. cap. 1.* ubi consuetudinem certissimam loquendi Regulam vocat, planèque utendum ait sermone, ut nummò, cui forma publica est.

Ea tamen

16. Ea tamen communis etiam usus vis & auctoritas non est; ut eò tritus verborum intellectus exploratè proferentis menti non cedat. Vulgari etiam & communi Jure prodita & Civillis verborum significatio præfertur in sanctionibus legalibus, in sententiis & interlocutionibus judicium: in responsis prudentum & instrumentis publicâ tabellionis & privatâ etiam, sed doctâ manu exaratis, Baldus in l. Lege 14. C. de Legitim. hered. n. 3. & cit. Mantica n. 2. ex quorum mente à facultatum aliarum Magistris & peritis artium quarumvis prolata, & has concernentia verba, non secundum communem aut vulgi, sed specialem ac propriam ejus, quam quisque profitetur, artis seu facultatis acceptionem intelligenda sunt; quòd secundum eam prolata præsumantur; ut Regula primâ sit locus.
17. Septima, Verba pactionum, contractuum, transactionum in dubio interpretanda sunt contra proferentem, qui obligare alterum seve liberare intendit, l. Veteribus 39. ff. de Pactis, l. Eum qui 9. §. fin. de Transact. l. Labeo 21. ff. de Contrab. empt. §. l. Quidquid 99. pr. ff. de V. O. Ratio redditur l. Veteribus cit. quòd in ejus potestate fuerit, legem apertius dicere & conscribere: contra eum autem, qui legem dicere & conscribere potuit apertius, interpretandam Regula sit 57. in 6. in quam præsens, & ea etiam incidit, quâ Verba in dubio accipienda dicuntur contra eum, qui intentionem vel exceptionem suam in iis fundat, arg. l. cit. partim; quòd verba ab eo prolata intelligantur, cujus interest, ea prolata fuisse, l. Quidquid cit. ea autem fuisse prolata illius maximè interfit, qui intentionem vel exceptionem suam in ipsis fundat: partim verò; quòd in verbis se fundans ea alleget in vim probationis illius, quòd in suum favorem &

adversæ partis præjudicium asserit: probationem autem claram esse oporteat & concludentem, l. Neque natales 10. C. de Probat. cit. Tuschus Concluf. 106. à u. 8. Sed de his plenius ad Reg. 57. cit.

Octava, in Verborum interpretatione cavendum est; ne superflua sint & careant effectu, can. Hec autem verba 17. dist. 1. de Penit. c. Relatum 4. de Cleric. non resid. §. l. 1. V. Hec autem, ff. Quod quisque jur. in alt. sed quodcumque etiam minimum verbum aliquid operetur: & ne syllaba quidem superabundet, l. Quoties 12. ff. de Reb. dub. ut ad superfluitatem evitandam verbum quòvis utili, etiam improprio, sensu accipiat, l. Cum filiof. 50. ff. de Legat. 3. cit. Tuschus Concl. 85. à n. 4. & Mantica Tit. 6. n. 1. Ratio est; quia effectus in quavis dispositione & in omnibus actibus præcipuè attenditur; ut in iis nulum verbum otiosum & sine virtute operandi positum præsumatur, can. §. V. Hec autem cit. Bartolus in Rubr. C. de Contrab. empt. n. 9. Unde hæc Regula latissime diffunditur, & procedit in sanctionibus Legalibus; sic enim interdictum civitatis huic adhaerentia ædificia & suburbia, c. Si civitas 17. de Sent. excom. in 6. & ademptio testamenti factionis codicillum comprehendit, c. Quamquam 2. de Usuris in 6. junctâ Gloisâ V. Aliter facta. In statutis municipalibus: quorum aliquò si victus in expensas condemnari jubeatur, ne superfluum evadat, refertur ad eum etiam, qui in judicio succubuit, cum litigandi justam causam haberet, Albericus de Statut. p. 2. q. 192. In privilegiis & indultis; sic enim clerico indulta facultas testandi ad bona Ecclesiæ intuitu quæsitâ, & parochia vel curato alteri specialiter ab Episcopo indulta facultas absolvendi parochianos ad casus Episcopo reservatos refertur; quòd, si

T t t ;

illa de

illa de bonis patrimonialibus vel quasi, ista de casibus non reservatis exaudiretur, evaderent otiosa; cum de bonis patrimonialibus vel quasi testari clerici, & à non reservatis parochianos suos absolvere curati valeant aliunde, *c. 1. c. Tua nos 9. de Testament. & c. Omnia utriusque 12. de Panit. & remiss.* Anchoranus *Confil. 186.* & Francus *in c. Si Episcopus 2. de Panit. & remiss. in 6.* In ultimis hominum voluntatibus; nam si fideicommissio adjecta sit conditio, *Si filius decesserit sine hærede*, hæredis nomen intelligitur improprie & ad decessum sine liberis restringitur; quod raro quis sine hærede decedat, *l. Ex factis 17. §. fin. ff. ad SC. Trebell.* In contractibus; sic enim venditioni prædii adjectum pactum de retrovendendo, si ita conceptum sit, ut venditor illud *Semper & omni, quò libuerit, tempore*, eodem pretio redimere sive rursus emere valeat, vim suam etiam post 30. annos retinere creditur; ut verborum illorum amplitudo aliquid operetur, *Theaur. 2. 2. Forens. Lib. 2. q. 72.* & Faber *in C. de Licit. pign. des. 19.* In cessionibus; sic enim privilegii renuntiatio facta ab eo, qui ullò speciali munitus non est, ad privilegium communi Jure competens refertur, ut aliquid operetur, *Cravetta Confil. 291. n. 4.* In hominis dispositionibus quibusvis, *Roland. Lib. 3. confil. 61. à n. 14.* & *Tuschus Concl. 85. n. 12.* Cæterum verba minimè otiosa, & satis operari censentur, si solius declarationis, majoris cautelæ & omnis dubitationis tollendæ vel enixioris voluntatis demonstrandæ gratiâ inserantur: aut expriment id, quod inest tacitè, vel in genere continetur, *arg. l. Quæsitum 12. §. 4. ff. de Fundo instr. leg. & c. Si adversus 11. de Hereticis*, Panormit. *in c. cit. n. 1. cit.* *Tuschus Concl. 85. à n. 74.* & *Mantica Tit. 6. n. 7.*

Præterea, de verborum exuberantia vitanda, tradita Regula iis tantum casibus locum habet; quibus illa interpretationis beneficiò excludi sine gravi incommodo, hoc est, salvâ aliunde competentâ disponentis intentione, & sine præjudicio & gravi læsione tertii aliâque iniquitate & absurdo potest; cum utique verba exuberare & effectu destitui, tolerabilius sit, quàm hujusmodi incommodorum aliquid, iis effectu conferendo, induci, *Cravetta Confil. 79. n. 29. cit.* *Tuschus n. 84.* & *Mantica n. 7.*

Demum, cum dispositionum verbis, ad excludendam verborum redundantiam, operatio & effectus per interpretationem tribuendus asseritur, id semper intelligendum est intra terminos materiæ subjectæ, sive secundum naturam actûs, de quo agitur; cum utique conveniens non sit, verba contra materiæ subjectæ & ejus, de quo agitur, actûs naturam effectum fortiri: sed potius ad hujusmodi effectum verborum exuberantiam tolerari, expedit, *Tuschus Concl. cit. n. 80.* & *Menoch. Lib. 3. confil. 243. n. 38.*

Regula nona, Verba ambigua à Jure recipiunt interpretationem, ut ex variis, quas admittunt, expositionibus potior sit ea, quæ à communibus Juris Regulis minimum recedit, *l. Quæro 54. §. 1. ff. Locati & l. fin. §. 6. C. de Jure delib.* Ratio est; quia commune & tot vigiliis publicæ utilitatis intuitu elaboratum Jus favorabile, ab eoque recessus odiosus & in dubio, quâ commodè potest, ratione vitandus est, *c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 72. in fine C. de Appellat.* ex qua ratione, non privatorum duntaxat pacifcentium & inter vivos aut voluntate ultimâ de rebus suis disponentium verba, sed instrumenta quoque tabellionum, judicum de litigentium jure pronuntiantium sententiæ,

entia, & compromissariorum arbitria, iusque seu mandata Principis ad Juris communis sensum reducuntur, arg. c. Super eo 15. de Offic. deleg. Leges quoque posteriores ad priores trahi, l. Sed & posteriores 28. de LL. & statutorum is præferri solet intellectus, qui commune Jus minimum lædit; cum, licet cum isto planè concordent, & nihil inducant novi, satis tamen operari videantur, dum commune Jus declarant, firmantque, & ejus observantiam procurant, Castro in l. Leges 9. C. de LL. n. 7. & Albericus de Statut. pr. q. 2. & 9. Quin ipsa etiam privilegia, licet lex merè privata sint, cum eodem Jure conferuntur; ut huic plus non derogat, quam ipsis est expressum, arg. Reg. Odia 15. & Reg. Quæ à Jure 28. in 6. Sylvester V. Privilegium q. 3. & Suarez Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 5. Hæc tamen etiam Regula sic accipienda est; ut verborum intelligentia communis Juris regulas sequatur, quando id sine incommodo fieri potest, & patitur mens proferentis: atque ab illis recessum specialis ratio & dispositionis finis non exposcit.

21. Decima, Verba ambigua sic exaudienda sunt; ut eorum sensus congruat materiæ subjectæ, naturæ actûs v.g. contractûs, de quo est actum, & qualitati personæ, ad quam sunt relata, c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando. c. Constitutus 6. V. Cum autem, de Religiosis. l. Cum manu 80. §. 3. ff. de Contrab. empt. & l. Ubi ita 27. ff. de Mortis caus. donat. Everardus Legal. arg. Loco 46. Menoch. Lib. 3. præsumpt. 104. n. 29. & Tuschus Concl. 95. & 96. Declaratur exemplis; sic enim Primò, si debitori solutionem exhibenti creditor promittat confectionem instrumenti, promissio de liberationis, non de obligationis instrumento intelligitur; quòd, cum

solutio ex natura sua spectet & inducat liberationem, l. Nulla 5. C. & l. Solutio nis 54. §. 4. ff. de Solut. liberationis fines faciendæ sit instrumentò, Alexand. Lib. 3. consil. 37. n. 5. & Tuschus Concl. 95. cit. n. 5. Secundò, si locer genero, cui dotem promissam non solvit, ex conventionem præstet usuras, istarum nomine compensatoriæ duntaxat sive interesse venit; quòd istud Jure reprobatur non sit, & ex dotis solutione dilata genero cesset, arg. c. Salubriter 16. de Usuris. Lud. Roman. Consil. 517. n. 8. & cit. Tuschus n. 21. Tertio juramenti valor & vis desumenda est ex materiæ subjectæ natura & conditionibus actûs, cui est adjectum, c. Quemadmodum cit. pr. & l. Cum de indebito 25. C. de Condit. indeb. per tradita Lib. 2. tit. 24. à n. 85. Quarto mandatum de providendo alicui de beneficio in dioecesi proximè vacaturo de Seculari vel Regulari exaudiendum est pro qualitate personæ clerici, Secularis vel Regularis, alterius duntaxat beneficii Jure capatis, c. Cum de beneficio 5. & c. Cum singula 32. de Prab. & dignit. in 6. Caldas Consil. 293. n. 2. & cit. Tuschus Concl. 96. n. 4. Quintò rescripti Apostolici verba, Si confiteris, causæ cognitionem important, si ad judicem; non etiam, si ad merum executorem dirigantur; quòd cognitio judici: non etiam hujusmodi executori competat, l. Si ut proponis 6. C. de Execut. rei judic. Tuschus cit. concl. 95. n. 9. Ratio Regulæ est; quòd verba materiæ sive rei, & actui v.g. contractui, de quo agitur, uti & personæ, ad quam referuntur, accommodari præsumantur à proferente, c. Intelligentia 6. hinc & l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3.

Undecima, cum dubius est sensus Verborum, & hæc, ut sonant, in bonam 22. malamve partem accipi possunt, is sensus po-

sus potior habetur, qui delictum excludit; ut omnis interpretatio & significatio verborum impropria potius admittatur, quam delictum: & cum hoc excludi omnino non potest, minus grave commissum intelligatur, *c. Estote 2. de R. I. & l. Merito 31. ff. pro Socio*. Ratio est; quia in dubio, quem deliquisse, non præsumitur, ejusque factum in partem meliorem trahendum est, per tradita à Bartolo *in l. cit.* hanc Juris præsumptionem vocante, & tradenda *in c. cit.* Hinc profectò in dubio consilium, ut utile bonumque: contractum, ut ab iniquitate usuraria, & beneficii collationem ut à labe Simoniaci immunes sint: prædii emptionem suo nomine à tutore de propriis, non de pupilli rebus celebratam, & mariti res ab uxore non furandi animò, sed ut eas hypothecæ nomine pro dote apud se haberet, amotas, intelligimus; ut peccatum excludatur, Menoch. *Lib. 5. præsumpt. 2. à n. 5. In dubio*, inquam; quia, cum verba magis sonant delictum: uti & cum actus majorem turpitudinis, quam honestatis speciem præ se fert, & excusandi causa non apparet, delictum interpretatione non excluditur, *cit.* Menoch. *n. 34.* Idem est, cum versamur in genere prohibitionum; cum, quando homicidium à Titio instrumentò ad necem inferendam ex se aptò commissum constat, id dolò perpetratum in dubio præsumatur, *l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicariis*: quantumvis ad sui defensionem & inculpata tutelæ moderamine servatò potuerit committi, Menoch. *ibid. præsumpt. 3. n. 45. & in l. cit. Bruneman. n. 8.*

23, Duodecima, Verborum ea significatio præferenda in dubio est, quæ tertii quæsitò juri non derogetur, *can. Denique 14. q. 5. c. Super eo 15. de Offic. deleg. & l. Nec avue 4. C. de Emancip. lib.*

aded; ut verba ad cavendum tertii præjudicium improprie accipiantur: & non solum indefinita, sed generalia quoque & universalia restringantur, Oldrad. *Consil. 268. n. 5. & Tuschus V. cit. concl. 128. n. 1.* Cuius Regulæ vis sua constat non solum in contradicibus & supremæ voluntatis elogiis cæterisque dispositionibus & actibus privatorum: sed in decretis quoque & beneficiis Principis, *l. Nec avue cit. & l. Prator ait 2. §. 10. & 16. ff. Ne quid in loco publ. in privilegiis & aliis rescriptis ac mandatis Apostolicis, quæ etiam, quando cum clausula Motus proprii & Ex certa scientia emanant, tacite continent clausulam Salvo jure tertii vel Sine præjudicio alterius, itaque exaudienda sunt; ut nemini præjudicium creent, sed alienum jus salvum & illæsum conferrent, c. Licet 12. de Offic. Ord. c. Dudum 31. de Privileg. c. Quamvis 8. de Rescript. & l. Ex factò 43. pr. ff. de Vulg. substit. Glossa in c. Super eo cit. V. Intentionis, & Gaill. *Lib. 2. Observat. 58. n. 4.* Ratio est; quia tertio quæsitum jus non solum pactionibus & dispositionibus privatorum, sed ipsius etiam Principis supremi autoritate, non nisi ex causa urgentis necessitatis aut huic æquiparatae magnæ utilitatis publicæ, auferri potest, per tradita *Lib. 1. tit. 2. à n. 55.* & ejusmodi etiam causâ urgente id auferre velle, si non exprimat, Princeps non censetur, Innocentius *in c. Innovit 20. de Elect. à n. 5. cit. Gaill. n. 7. & Pirrhing ad Rubr. de Constitut. n. 20.**

Decima tertia, in omni Verborum 24
 interpretatione cavendum est, ne absurdum quid & inconveniens resultet, aded; ut verborum improprietas imò superfluitas tolerabilior sit, quam vitium absurditatis, Everard. *Legal. arg. loco 8. & Mantica de Conject. ult. vol. Lib. 3. tit. 7. totis.* Ad eam certè vitandam multipli-
 cari ele-

uari electiones, *c. In Genesi 54. de Elect.* auctori concedi, quod non licet reo, *c. Inter 5. de Except.* majorum integritate conservata, dividi beneficia Ecclesiastica minora, *c. Majoribus 8. de Prab. & dignit.* quempiam ab Ordine & dignitate Ecclesiastica in pristinam redire servitutum, *c. Injustum 4. de Rev. permut.* crudele sanguinis iudicium exerceri in Ecclesia, in qua tutela refugii est constituta, *c. Ecclesiam 5. de Immunit. Eccles.* Judæos, in Christum blasphemos, potestatem exercere in Christianos, *c. Cum sit 15. de Judais*, in provisionibus factis à sede Apostolica, huic competentis providendi potestatis exigentiam, *c. Dudum 14. V. Considerantes, de Prab. & dignit. in 6.* in Doctorei gradus insignium receptione tot sumptus tolerari; ut istorum magnitudine plerique absterrentur ab illa retrahantur, ad eamque aspirare non tam facile docti, quam opulenti possint, *Clement. 2. de Magistris & alia alibi SS. Canonum conditores vetuerunt.* Sanctionibus quoque Legalibus ad idem vitium excludendum cautum est; ne actor ad iurisdictionem Religionem convolare permittatur, postquam ei renuntiavit, & omnem aliam probationem desperavit, *l. Si quis 11. pr. C. de Reb. credit.* ne Magistratus alieni officium quis turbet, *l. Hac consuetissima 9. de Testam.* aut ab hæredibus ultimæ voluntatis, maxime libertatem respicientis, executio differatur, *l. Ancillam 15. C. de Fideicommiss. liberr.* ne, si duobus communis servus, ab uno suo nomine decem ab aliquo stipulari iustus, hac ejus iussione contemptâ decem alterius nomine stipuletur, huic potius quam illi lucrum accedat ex stipulatione, *l. fin. C. Per quas pers. nobis acquir.* ne per adoptionem quis in filium assumatur ab eo, qui natu est minor; imò &, qui adoptatum plenâ pubertate, sive decem

& octo annis, non præcedit, *§. Minorem 41. Instit. de Adopt.* ne suprema voluntas corruat ex eo; quòd non congruat legi testamentariæ, vivò quidem testatore, sed post testamentum jam conditum lata, *Novella 61. cap. 1. §. 4. C. Ratio est;* quia, quòd absurditatis & inconvenientiæ vitio laborat, est irrationabile, *l. fin. C. Communia de Legat.* quòd autem caret ratione, aut rectæ rationi non congruit, non est admittendum.

Decima quarta, in omni dispositione Verba concilianda verbis, itaque exaudienda sunt; ut contradictio & correctio excludatur, *c. Inter dilectos 6. V. Caterum, de Fide instrument. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. §. l. unic. C. de Inoffic. dor.* Ratio obvia est; quòd, cum per rerum naturam idem simul esse & non esse non possit, idem simul velle & nolle nemo præsumatur: neque etiam verisimile sit, sanæ mentis hominem à sua dispositione illico recedere, sèquæ in continenti corrigere voluisse, *Gratian. Discept. Forens. cap. 554. n. 31. Cravetta Consil. 870. n. 9. & Barbosa Lib. 3. Axiomat. cap. 87. §. cap. 97. n. 6.*

Decima quinta, in omni dispositione is Verborum intellectus capiendus est, quò illa valeat potius, quam pereat, *l. Quories 12. ff. de Reb. dub. §. 80. ff. de V. O.* Ratio est; quia ex una, verba adhibentur ad explicandam mentem & voluntatem proferentis, *l. Labeo 7. §. 3. V. Idem Tabero, ff. de Suppell. leg.* ex altera autem ea proferens in dubio voluisse præsumitur; ut actus & dispositio sua meliori, quò potest, modò valeat ac sustineatur potius, quam corruat & subvertatur, *l. Si miles 3. ff. de Milit. testam. §. l. Cogi 16. pr. ff. ad SC. Trebell.* Quantumvis autem in omni etiam stricti Juris actu ejus valorem conservans interpretatio generaliter potior habeatur, id tamen non procedit

U u u

procedit casu, quò de ipso actu verè non constat; cum in dubio potius non gestus aut perfectus, quàm eò, quò validè non poruit, modò & inutiliter gestus censetur.

Dixi etiam, *In dubio*; quia pro actus valore frustra laboratur, quando presumendum esset delictum: vel cum interpretatione, qua ille conservatur, clarus verborum tenor pugnat: vel illum defectus formæ excludit, aut leges non admittunt: neque etiam, cum verisimilis conjectura est, disponentem sanæ mentis non fuisse, ab eòve ex proposito electam viam, quâ actus nullus redderetur, *citr. Menoch. Lib. 6. presump. 4. à n. 39. & Tulchus Practic. V. Actus, conclus. 139. à n. 73.* quibus locis hanc Regulam late declarant.

27. Decima sexta, Verba sive oratio affirmativa aut negativa non ex phrasi & conceptione externa, sed ex vi & effectu aestimantur; ut, licet verba, phrasi & sonò attentò, aliquid videantur asserere, negativa tamen sint, si eorum vis tendat in negationem: & contrà, si vis tendat in affirmationem, verba & oratio sint affirmativa: licet, ut sonant & concepta sunt, negare videantur, *Glossa in Clement. fin. de Rescriptis V. Creatum, Bartol. in l. 1. ff. de Vulg. & pupill. subst. n. 17. & Zoësius in l. Stipulationum 2. §. 3. & 4. ff. de V. O. n. 18.* sic enim exceptio negantis, se beneficium spontè resignasse, affirmativa potius est, quàm negativa; quòd se spontè resignasse negans verbis quoad conceptionem negativis renuntiationem vi metuque extortam affirmet: & sic excipiens vim metuque sibi illatum in iudicio, ut intentionem suam actor, probare teneatur, per tradita *Lib. 2. tit. 18. n. 19.* Sic Titium pauperem, rudè mve vocitantis oratio, licet concepta affirmativè, reipsa negativa est,

æquivalens orationi, eum nihil habere vel didicisse aut scire enuntiantis, quòd est negare; sicut quoad vim & effectum affirmare est, Titium non esse pauperem vel rudem; licet verba, ut concepta sunt, negationem sonent, *Pacianus de Probat. Lib. 1. cap. 54. n. 24.* Simili modò, si Titius institutà adversus Caium actione Confessoria dicat, ei non competere Jus servituti in usu servitutis, orationis vis affirmativa est, æquivalens orationi agentis, sibi deberi servitutem: & si idem agens Negatoria dicat, aedes suas esse liberas & Caio silentium imponi petat, oratio, licet, conceptione verborum spectatà, affirmativa appareat, vi & effectu spectatò, negativa est; quòd aedibus suis adstruens libertatem Caio servitutem neget, *Zoësius cit. n. 18.* Sic demum verba & oratio affirmativa restricta ad certum tempus, istò lapsò inducunt negationem, *l. Si unus 27. ff. de Pactis*, cuius §. 1. Paulus ICT.º pactionem ad certum tempus factam ultra hoc porrigi, negat: & contrà ad certum tempus restricta oratio negativa post id lapsum inducit affirmationem, *l. Pater 38. §. 3. ff. de Legat. 3.* Ratio est; quòd concessum vel prohibitum ad certum ac determinatum tempus, hòc elapsò contrarium operari suadeat natura Orationis, concessionem vel prohibitionem ad certum duntaxat tempus restringentis, per *text. aut arg. l. Cum lex 22. ff. de LL. Pacianus Lib. 1. cit. cap. 32. 1010.*

Decima septima, affirmativa oratio magis digna est, quàm negativa: negativa autem potentior est, quàm affirmativa. Regulæ pars prior patet; quòd affirmativa magis se offerat sensui, quàm negativa: illaque sit Entis, ista non-Entis; cum nihil sonet & ponat, *Cynus in l. Actor 23. C. de Probat. n. 4.* Ens autem non-Ente dignius sit, *Sajycetus in l. 1. §.*

29 *l. 1. §. 14. C. de Rei uxor act. n. 6.* Posterioris partis ratio est partim; quia Regulariter affirmativa, ut negativæ prævaleat, probanda est, *l. Altor cit. non etiam negativa*; cum satis probata eò ipsò censeatur; quòd contrarium seu affirmativa non potuerit probari, *l. 1. C. de Probat. §. c. fin. §. Sanè, de Jurejurando*, quâ de re actum est *Lib. 2. tit. 18. à n. 17.* partim verò; quòd negatio in prohibitionibus præcisam necessitatem inducat, Roland. *Lib. 3. consil. 80. n. 55.* & præcepta negativa efficacius obligent, & latius pateant, quàm affirmativa, Panormit. *in c. Novit 13. de Judic. n. 34.* cum illa semper & pro semper: ista verò non pro semper, sed pro certis duntaxat circumstantiis obligent, ut dictum in Proemio n. 27.

30. Decima octava, Verba negativa, eadem oratione geminata, inducunt affirmationem, *l. Duobus 237. ff. de V. S.* sic enim dictio *Nec non* idem quod *Et* vel *Etiam*: verba *Nonnullus* & *Non nemo* idem quod *Aliquis*; *Nonnihil* & *Nonnunquam* idem quod *Aliquid* & *Aliquando* vel *Interdum*; & verba *Non improprie*, *Non ineleanter*, *Non inhonestè* idem quod *Proprie Eleganter* & *Honestè* denotare, ex dictionum Vocabulariis seu Lexicis exploratum & ratio est; quòd, cum negatio malignantis, ejusque naturæ sit; ut, quod inveniit, destruat ac tollat, etiam quando invenit orationem negativam, eam destruendò, tollendòque, oppositam & affirmationem inducat, Alciatus *in l. 1. §. 2. ff. de V. O.* Quæ ratio etiam affirmationem geminatâ negatione inducendam, additâ negatione tertiâ, destrui & orationem planè in negativam reduci, vincit: quod etiam satis liquet ex *l. Si duo 13. ff. de Jurejurando*, cujus §. 5. Ulpiani verba sunt, *Qua non esse extra equitatem posita non negaverim*, & *l. 1.*

ff. de Hæred. instit. cujus itidem §. 5. idem ICT.º Marcellum Non insubtiliter non probare, ait: quod idem est ac subtiliter non probare & negare.

Geminata etiam negatio orationem affirmativam non efficit, si posterior non ad idem, sed ad aliud & diversum referatur: sicut contingit in copulativis & disjunctivis; tali enim casu utraque tollit ac destruit id, ad quod refertur, *l. Alienationis 28. §. 1. l. Pronuntiarum 46. §. 1. in fine §. l. Qui neque 48. ff. hie.*

31. Quin Regula perpetua etiam non est in duabus negationibus ad unum idemque relatis; cum tales etiam affirmationem non inducant Imprimis, quando ad idem fortius negandum & excludendum adhibentur, ut *c. Ita nos 19. §. fin. ibi, Constantè negavit, quòd præmissa minime perpetravit, de Homicidio §. l. 1. C. de Servis fugit.* quâ Imp. in servo fugitivo usufrucationem & longi temporis præscriptionem locum habere, repetitâ negatione inficiantur. Deinde, quando inducât affirmatione absurdus, aut proferentis intentioni vel Juri contrarius intellectus resultaret: sicut contingeret, si *c. Etsi Christus 16. princ. de Jurejurando* ex Matth. cap. 5. v. 37. verbis, *Sis sermo vester est est, non non*, harum negationum posterior orationem redderet affirmativam, Panormit. *in c. cit. n. 5. & Albericus in l. 1. §. 3. ff. de V. O. n. 6.* Demum, si ex alicujus, ut Budæo teste, Græcæ linguæ natura vel communi usu negatio geminaretur ad solum ornatum aut inficiationis vehementiam demonstrandam, ut quandoque solet à nostris Germanis, verba, *Er hat niemahlen nichts guet gethan / Er hat nie ketonen Menschen heuübt /* sic concipientibus ad negationem augendam potius quàm tollendam, Barbosa *Axiomat. Lib. 12. cap. 6. axiom. 4. in fine.*

U u u 2

Decima

33. Decima nona, Verba generalia simpliciter prolata, ut sonant, exaudienda sunt; ut sine distinctione vel exceptione denotant, comprehendant sive, ut ad omnes species sub genere contentas referantur, *l. Regula 9. §. fin. ibi. Nam initium Constitutionis generale est. ff. de j. & F. J. l. In fraudem 15. §. fin. ff. de Milit. testam. §. l. fin. §. 1. ff. de Auro & Arg. legat. perinde ut, si ea, quæ sub genere continentur, speciatim expressa essent, l. Si oborvus 79. pr. ff. de Legat. 3. & l. Gallus 29. §. 6. ff. de Liber. & posthum. etiam si fortassis in specie non cognita nec cogitata sint; sufficit enim, ea cognita & cogitata in genere, quò comprehenduntur, *l. Empor 47. §. 1. ff. de Pactis & l. Pluribus 6. ff. de Acceptilat.* Ratio est; quia, cum nulla species sit, quam ambitu suo genus non complectatur, ad genus denotandum inventa verba, sive locutio & dispositio generalis, illò inclusas species omnes vi & significatione sua afficiet non minus, quam oratio, quæ singulæ nominatim referuntur, *cit. Tuschus V. Verba, conclus. 122. à n. 1. & Gratianus Discept. for. cap. 145. n. 26.**

34. Vigesima, Verba universalia potiora sunt generalibus, *can. Sunt nonnulli 114. ibi. Non dicit à munere, sed adjunxit ab omni, l. 9. 1. & l. Ea verò 3. §. 1. ff. Pro socio;* ut proinde quæcunque vi & significatione suâ verba generalia complectuntur, à fortiori & universalia comprehendant: licet in specie nec cogitata nec cognita sint, præsertim si verba universalis concepta sint voce *Nemo aut Nul- lus;* cum hæc ejus naturæ sint; ut ullam exceptionem vel restrictionem non patiantur: & si in minimo deficiant, orationem totam inficiant & falsam reddant, *cit. Tuschus Conclus. 128. n. 3. & Barbosa Axiomat. Lib. 8. cap. 8. axiom. 14.*

Quantumvis autem generalia & maxime Universalis verba ejus sint efficaciora, ut vim habeant specificæ & individua expressio, raro tamen ita diffunduntur, ut non admittant temperamentum ali- quod, & limitationem seu declarationem omnem excludant; nam primò generalis & ipsa etiam universalis locutio specialia non omnia includit, quando certa quædam in specie exprimuntur, & subjicitur vel præmittitur, ad eaque referitur locutio generalis, *l. Legatorum 33. §. 1. ff. de Legat. 2. l. §. fin. ff. de Truico, vino & leg. sic enim, cum testator Titio duas statuas & omne marmor legavit, cum reliquò marmore ultra duas staturas Titio nihil debetur, licet plures statuæ sint, l. Hæres 100. §. 1. ff. de Legat. 3.* Secundò, quando dispositio fundatur in expressa ratione seu causa speciali, ejus generalitas accommodanda est speciebus sub ea ratione comprehensis, nec porrigenda ad diversas; sic enim Edictum Prætoris, ne quid in loco sacro fiat, ad ea duntaxat referendum est, quæ cedunt in ejus irreverentiam & detrimentum: non etiam ad ea, quæ in loco illo ornatis & reverentiæ causâ sunt, *l. 1. ff. Ne quid in loco sacro: cui simile est rescriptum l. Si de certa 31. C. de Transact.* Tertio, verborum generalitas restringenda est ad res & personas habiles; sic enim *l. 1. C. de SS. Eccles.* ad causas pias testandi facultas, terminò generali *Unusquisque* concessa, referenda est ad personas, quæ testari sive de rebus suis ultimâ voluntate disponere Jure permittuntur, *Clarus §. Testamentum q. 5. & 6. n. 2. & alii DD. relati Lib. 3. tit. 26. n. 21.* Eodem modò justio, ut in muneribus & honoribus certæ conditionis homines præferantur, de idoneis duntaxat est exaudienda, *l. Ut gradatim 11. §. 1. ff. de Muner. & honor.* Quarto generalis dispositio referenda est ad materiam subje-

ctam; nam

Etiam; nam liberatio loci vel tutoris generaliter facta ultra causam societatis & gestionem administrationis tutelæ non extenditur, *l. Emptor 47. §. 1. ff. de Pa. Etia. §. l. Plenam 12. §. 2. ff. de Usu & habit.* eodémque modò transactioni adiciens generalem promissionem, se nihil amplius petiturum, ex causa ab ea, super qua lis mota & transactum est, diversa aliquid petere non prohibetur, *l. Si ex certa cit. & ibi Bruneman. n. 2.* Quintò verborum generalitas non porrigitur ad ea, quæ expressis graviora, *c. Sedes 15. de Rescript.* vel omnino insolita sunt, *c. Circa 34. ibi. Quia raro vel nunquam coningeret, de Offic. deleg. in 6.* neque ad ea, quæ de fore vel consuetudine exposcunt expressionem specialem, *c. Qui ad agendum 4. c. Qui generaliter 5. de Procurat. in 6.* neque etiam ad ea, quæ, si in specie cogitarentur vel proponerentur, quis verisimiliter non esset concessurus, *c. In generali 81. de R. J. in 6.* Sextò eadem verborum generalitas coarctanda est; ne extendatur ad inhonesta, illicita, præjudiciosa &, quæ egrediuntur limites potestatis proferentis, de quibus latè *cit. Tuschus ad Conclus. 127. & Barbosa Lib. 19. cap. 11. axiom. 33.*

36. Vigesima prima, Verba indefinita æquipollent & vim obtinent locutionis generalis, *c. Quia circa 22. de Privileg. l. Quoribus 2. C. Si plures una sent. §. l. 1. §. 4. ff. de Offic. Praef. Urb.* five ea affirmativa five negativa: imò multò magis si negativè concepta sint, juxta Vulgatum, *Plus tollit negatio, quàm ponit affirmatio;* cùm negatio malignantis sit naturæ &, quidquid sequitur, neget, *l. Si is, qui ducenta 13. §. 3. ff. de Reb. dub. Glosa in Reg. 1. V. Non potest, in 6. & Tiraquell. de Primogen. q. 24. n. 12.* tum verò; quòd negativa indefinita universali æquipolleat ex ipsa virtute verborum: affirmativæ autem ejusmodi locutioni ea vis tri-

buatur non ex propria vi & significatione: sed ex æquitate & benignitate interpretationis, *l. Si servitus 23. ff. de Servit. prad. Urb. cujus pr. servitus, ne luminibus officiat, ædibus suis indefinitè constituta, futura lumina comprehendere videtur quia Humanius est verbo generali omne lumen significari;* quâ ratione verbum *Lumen* indefinitum JCT.º generale vocat; quòd huic five universali verbo æquipolleat, quando subest eadem ratio omnium, ad quæ indefinita locutio referri potest: mensque disponentis & materia subjectæ ei generalis orationis vim & significationem tribui patiuntur, *Covarruvias Lib. 1. var. cap. 13. n. 5. & cit. Tuschus V. Indefinita, conclus. 86. n. 16.*

37. Quamvis autem locutioni indefinitæ ea vis & æquipollentia in omni humana dispositione adstruatur, præcipuè tamen ei constat in legali, ad certam speciem non restricta; quòd de natura & nomine legis fit; ut in omnes, non in singulos dirigatur, *l. Jura 8. ff. de LL.* ut proinde sanctiones canonica & legales de postulatione & electione; de judice ordinario & delegato; de possessione, sequestratione, sententia; de venditione, locatione, permutatione; de jure patronatùs &c. licet singularis numeri verbis conceptæ sint, non minùs quàm aliæ de omni ejusmodi persona, actu, jure, speciali dispositione non exceptis, sint exaudiendæ, *c. 1. de Constitut. l. Jure cit. §. l. Leges 3. C. de LL. Bartolus in l. Omnes populi 9. ff. de J. & J. n. 57. cit. Covarruvias n. 8. & Tuschus n. 17.*

38. Ne tamen æquipollentia hæc justò latius proferatur, eò ipsò; quòd non ex verborum natura, sed humanitate tantum profluat interpretationis, locus ei non erit, quoties universalitatem disponentis comperta mens, subjectæ materiæ qualitas, aut ratio non admittit: sicut eam non admittit

U u u 3

admittit in correctione legum, in privilegiis & quibusvis dispositionibus, communi, vel tertio alicui quæsito juri derogantibus; quòd tales sint odiosæ & extensionem non patiantur, *Reg. Odia 15. & Reg. Qua à jure 28. in 6.* In pœnalibus, *Reg. In pœnis 49. in 6.* & aliis odiosis *Reg. 25. cit.* adèd, ut hujusmodi dispositio aliquando vi destituatur potius, quàm admittat universalitatem, *l. Nominatim 2. ff. de Lib. & posth.* ubi Ulpianus exheredationem filii, nominatim non expressi, si plures sint, benignâ interpretatione nullam potius esse, quàm eâ omnes affici, respondet. In dispositionibus hominis in materia contingentis & non necessariè vera, Tuschus *cit. Conclus. 86. n. 36.* & Menoch. *Lib. 1. præsumpt. 46. n. 31.* In probationibus; quia hæc esse debent concludentes, *c. In presentia 8. & l. Neque naturales 10. C. de Probat.* sic enim, licet jure facta mentio culpæ de levi accipiat, casu tamen, quò de ea in contractu utriusque gratiâ celebrato admittitur, ea solum admittitur intelligitur, de qua probatio necessariè concludit; quòd probationem concludentem non constituat præsumptio & conjectura, ex qua indefinita locutio universalis æquipollet, Panormit. *in c. Auditis 15. de Prescript. n. 16. cit.* Covarr. *n. 10.* & Tuschus *n. 31.* Demum, ut alia omittam, universalis vim indefinita locutio non obtinet, quando ex ista desumpta universalis pravum intellectum inducit, *arg. l. Stipulario ista 38. pr. ff. de V. O. ubi Zoccius n. 4. & Covarr. cit. n. 10. V. Decimò tertio.*

39. Vigesima secunda, Verba specialia plus operantur, quàm generalia: ut in omni dispositione magis id, quod specialiter, quàm, quod generaliter expressum sit, inspiciatur, *l. Apud Labeonem 15. §. 26. ff. de Injuriis & l. Sanctio 41. ff. de Panis.* Ratio est; quia specialis & nomi-

natim facta expressio magis determinat, & disponentis mentem declarat quàm generalis; ut propterea in toto Jure generi per speciem derogetur, *Reg. In toto 80. ff. & Reg. Generi 34. in 6.* cujus unaque præsentis Regulæ explicatio dabitur *ad Rubr. sequent.*

Vigesima tertia, Verba enuntiativa seu narrativa per se dispositionem nec inducunt nec probant, *c. Si Papa 10. de Privileg. in 6. & Auth. Si quis C. de Edendo,* præsertim in iis, quæ non pendent à voluntate proferentis, & ab isto ad alium finem sunt prolata. Unde in instrumentis non narrativa & enuntiativa, sed dispositiva verba attenduntur; sic enim instrumentum se referens ad aliud, quod productum non est, probandi vim non habet, *Auth. cit.* quòd in eo, ad quod refertur, esse: & si produceretur, deprehendi posset vitium; quod id irritum reddit, Brunem, *in Auth. cit. n. 2.* Simili modò à Notario confectum instrumentum super venditione prædii Semproniani, quod in certo territorio vel intra certæ parochiæ fines situm asseritur, prædii quidem venditionem, non etiam territorium aut limites parochianos probat; quòd instrumentò sola venditio prædii dispositivè: territorium autem & fines illi solum narrative contineantur, *Jason in l. Cum aliquis 21. C. de Jure delib. n. 4. & Gaill. Lib. 2. observat. 37. n. 12.*

Idem obtinet in actibus & dispositionibus aliis. In legibus *arg. l. Quare 54. ff. Locati,* cujus §. 4. de expulsionis conductoris, post biennium cessationis à solutione pensionis locatori permissæ, quò minus conductorem pensionem non solventem post annum expellere valeat, non obtinere, volunt Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 499. n. 3.* & Bruneman, *in l. cit. n. 4.* quòd *l. Eadem 3. C. Locati* expulsio ad biennium non restricta, & ejus §. *cit.*

mentio

mentio narrativè duntaxat facta sit, propter casum propositum. In rescriptis Apostolicis, *arg. c. Si Papa cit.* quibus, si Titio ex certo Bavarie oppido oriundo de beneficio provideatur, ex iis Titio facta provisio: non etiam patria probatur; quòd hæc solum incidenter & merè narrative exprimitur, per tradita *in c. cit.* ab Anchorano *not. 1.* & Franco *n. 2.* In sententiis, *c. Quoniam 11. de Probat.* quantumvis enim, attestaciones aliàsque probationes esse legitimè receptas, in sententia exprimitur, fides tamen in gravibus præsertim causis iudici non habetur: nisi ejus enuntiatio ex actis justificetur, Felix *in c. cit. n. 55.* In ultimis voluntatibus, *l. 1. C. de Arbitr. tut. Gl. Rationes 6. C. de Probat.* cum, si defunctus hæredi instituto tutorem dans tria millia in bonis se habere dicat, ejus quidem dispositioni quoad institutionem tutoris; non etiam quoad enuntiatam quantitatem fides habetur in præjudicium tutoris; ut, si iste duo tantum millia reperta probet, ista duntaxat in rationes referre teneatur, Bruneman. *in l. cit. n. 2.* In rerum Ecclesie immobilium alienationibus; cum, licet Prælati prædii venditor, & emptor etiam, solemnitates intervenisse, narrent, eis tamen quoad istas non credatur, si aliunde non fuerint probata, Baldus *in c. Edoceri 21. de Rescript. n. 6. & cit. Gratianus cap. 918. n. 23.*

41. Sed, ut hæc ita, perpetua tamen non sunt; cum vis sua verbis & orationibus etiam enuntiativis non rarè constet, Primò quidem in instrumentis antiquis, præsertim confectis tempore, omnium hominum memoriam excedente; cum ex hujusmodi instrumentis tenore dominium, confines, jurisdictio, aliæque jura, feudalis & allodialis rei qualitas &c. etiam in præjudicium tertii probetur, præsertim si pluribus hujusmodi instrumentis idem

asseratur, aut in antiquitate se fundantem possessio suffragetur, Cravetta *de Antiquit. temp. p. 1. §. Ampliatur, à n. 17. & cit. Gratianus cap. 893. n. 3.* Secundò, si verba enuntiativa sint geminata aut sæpius repetita, ut infra dicitur, vel roborata juramento, *Auth. Quod obtinet C. de Probat.* quòd verba enuntiativa, accedente juramento, in dispositiva transire intelligantur, *Auth. cit. Gl. Cum quis 37. §. 5. ff. de Legat. 3. cit. Gratianus cap. 734. n. 34. & Menoch. Lib. 3. præsumpt. 133. n. 9.* Tertio, si eadem verba per modum causæ finalis & rationis principaliter motus prolata sint ab eo, in ejus potestate fuit factum enuntiatum; quòd hoc etiam casu dispositionem inducere videantur, Balbus *in l. Celsus 27. ff. de Usucap. n. 22.* Quarto, verba enuntiativa probant contra proferentem & eum, qui ea passus est inferri instrumento, *cit. Tuschus n. 11. & Mascard. Conclus. 621.* Quintò, favore dotis & causæ Pix, *cit. Tuschus à n. 135. qui & Menoch. cit. Præsumpt. 134. à n. 2.* plures hujusmodi casus dabunt. Iis etiam casibus, quibus verba enuntiativa non disponunt & probant, aliqualem præsumptionem faciunt ejus, quòd est enuntiatum, *cit. Gratianus cap. 468. n. 33. & Mascard. Conclus. 147. n. 14.*

42. Vegesima tertia, Verba geminata seu repetita plus quam simplicia operantur, *l. Ballista 32. ff. ad S. C. Trebell.* cujus decisionem DD. communiter aiunt fundatam in verborum geminatione, & *Auth. Sive à me C. ad S. C. Velleian.* Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Reveratur, n. 49. & Menochius de Arbitr. jud. casu 256. n. 14.* Ratio est; quòd verba geminata majori studio ac deliberatione effusa præsumantur, enixamque & seriam disponentis voluntatem demonstrant, *l. Ballista cit.* omnemque fraudis ac simulationis suspicionem, errorisque & metus præ-

tis præsumptionem tollant; ut contra dispositionem, geminatis sæpiusque repetitis verbis expressam, opponi nihil possit: sed ea confirmata ex ipsa iteratione intelligatur, Everard. *Legal. arg. loco à Geminacione n. 1.* & Tufchus *V. Verba cit. conclus. 118. à n. 7.* In specie autem geminationis effectus luculenti sunt Primò in rescriptis, quibus super eodem negotio vel luris articulo iteratis clausulæ *Non obstante, Motus proprii &c.* vim induci, tradunt Felinus *in c. Nonnulli 28. de Rescript.* & Tufchus *V. Geminatio, conclus. 28. n. 27.* In alienatione fundi dotalis: quam iteratò præstitus mulieris consensus validam reddit, *Auth. cit.* In pactionibus; cum promissio geminata patriat actionem, quam simplex promissio non inducit: Jason *in l. Juri gentium 7. §. 4. ff. de Pactionibus*, & alii, aliis tamen, nec male, id negantibus. In confessione, quæ si præsentate parte extra iudicium geminata probetur, contra confessum plenè probat, instar judicialis, Jason *in §. In personam 8. Instit. de Actionibus n. 48.* & Gutierrez *de Juramento p. 1. cap. 54. n. 6.* In mora, quæ si geminata sit, magis gravat debitorem; ut, licet moram simplicem purgare valeat, *l. Et si post 8. ff. Si quis caution.* post iteratam tamen interpellationem continuatæ purgatio non admittatur, *l. Trajectitia 23. V. De illo, ff. de O. & A. Jason in l. Vinum. 22. ff. Si cert. pet. n. 17.* & Bruneman. *in l. Trajectitia cit. n. 1.* In delictis; hæc enim iteratio aggravat, ferèque exaggerat pœnam adeò; ut delictum, quod per se capitale non est,

tale aliquando evadat, & capitali supplicio coërceatur, *l. Capitalium 28. §. 3. ff. de Pœnis &c.*

Sed vi hæc geminatio tum demum pollet, cum quis sciens prudensque præfertim ex intervallo, actum repetit, idemque diversis exprimit instrumentis: & geminatio ultra agentis potestatem, contra actus rei que in contractum deductæ naturam, vel in tertii præjudicium nihil operatur, &c. *cit.* Tufchus *Concl. 28. à n. 102.* & Barbosa *Axiomat. Lib. 7. cap. 4. axiom. 1. ad finem.*

Vigesima quinta, Verba sequentia 43. interpretationem recipiunt à præcedentibus, & à subsequendis antecedentia declarantur, *l. Si servus 50. in fine, ff. de Legat. 3.* Ratio est; quòd, si ad se mutuo referantur, non ita facile contrarius & absurdus resultet intellectus. Quantumvis autem eorum interpretatio mutua sit, & aliorum obscuritas vel generalitas aliorum perspicuitate ac determinatione tollatur, præcedentiū tamen ratio ferè potior habetur in interpretatione, *l. Quoties 10. C. Famil. herisc.* præsertim, quando præcedentia clara, certa & determinata sunt; quia præcedentia ferè præparatoria sunt ad sequentia, & in hæc influunt; ut quandoque ad orationem suppleendam ex præcedentibus aliquid subintelligatur aut repetatur, Tufchus *Concl. cit. n. 16.* & Menoch. *de Arbitr. jud. casu 64. n. 19.* ubi clausulam præcedentem fortiolem & potentiolem ait ad sequentia determinanda, quàm vicissim.

